

## **Dissertatio medica inauguralis, de lavatione frigida ... / [James Maddocks].**

### **Contributors**

Maddocks, James.  
University of Edinburgh.

### **Publication/Creation**

Edinburgi : Hamilton, Balfour, et Neill, 1762.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gagnmtpk>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

7

INAUGURALIS,

DE

LAVATIONE FRIGIDA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

*Amplissimi* SENATUS ACADEMICI *consensu,*

*Et nobilissimae* FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS MADDOCKS, ANGLUS.

Ad diem 25 Octobris, hora duodecima meridiana.

EDINBURGI:

Apud HAMILTON, BALFOUR, & NEILL,

ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

M,DCC,LXII.

DISSERTATIO MEDICA  
CULMINO CULMINO

IN AUCURALS

FRAGORUM

DE

JACOBUS MADDOCKS

LAVATIONE FRIGIDA

QUAM

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

NEC NON

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

ACADEMIAE MEDICAE BURGUNDIAE

# GULIELMO CULLENO

PRAECEPTORI SUO,

JACOBUS MADDOCKS

SALUTEM.

**C**UI animum ingenio natura, literis  
ars ornavit, etiamsi is ignotus est, eum  
admirari, si benevolentia et morum probi-  
tas accedunt, etiam diligere solent homines.  
Verum si qua cui eundem necessitudo con-  
juncta, ut ingenua aliqua arte eum imbuerit,  
plaudere sibi cultus animus, necessarium  
carum habere, et summam ex ea re volup-  
tatem capere consuevit. Caetera in te omnia  
conveniunt; in nos, animi grati, et sum-  
mis maximi viri beneficiis affecti, gaudium.  
Quod testari, quae tuum nomen praefert,  
paginam volui. Vale.

P. 24. l. 19. ante *ε* &c. lege *δ* &c.

P. 39. l. 8. pro iis lege aliis.

P. 32. l. 8. pro *nervae* lege *nerveae*.

GUILIELMO CULLENO  
DISSERTATIO  
PRAELECTORI SUO

JACOBUS MANDROCKS

T A B U L A

**C**um animam ingenio natura liberam  
ars ornavit, etiam si tyrobus est, cum  
admirari, si benevolentiam et merum prohi-  
tas accedunt, etiam diligere solent homines.  
Verum si quis eorum eundem necessitudo con-  
juaxit, ut ingenia aliqua arte cum industria  
plaudere sibi cupus, etiam si merita sua  
carum habeat, et humanam ex excolit  
latam capere conseruit. Ceteri in se omnia  
conveniunt; in hoc, animi, et loqui-  
tate proximis vii benevolentiam, etiam si  
quod lectari, quos in omni non prodest  
legimus, solum. / etc.

P. 22. l. 10. ante e hoc. etc.  
P. 22. l. 11. post hunc. etc.  
P. 22. l. 12. post hunc. etc.

# DISSERTATIO MEDICA

DE

## LAVATIONE FRIGIDA.

**D**E Frigida Lavatione scribendum putavi, remedio, five antiquitatem spectes, five utilitatem, imprimis nobili. Siquidem omni aevo, et in omnibus nationibus, interdum religionis, saepius sanitatis et corporis roborandi causa, usus ejus invaluit.

Mos lavandi frigidâ aquâ corpus, hujus sanandi aut contra morbos muniendi causa, antiquissimus videtur. Vetustatem ejus hinc conjicias, quod toties ejus mentionem fecit medicinae parens HIPPOCRATES. Post hunc caeteri, qui medicinam in Graecia coluerunt, hanc saepissime laudarunt, et de ejus utilitate multa dixerunt.

A

ROMANI,

ROMANI, qui et alias disciplinae partes, et medendi scientiam a Graecis acceperunt, hujus utilitatem bene noverunt, et ei multum institerunt: Id quod scriptis prodiderunt medici, pöetae, historici atque philosophi eorum.

ALIARUM gentium scriptores, et praecipue qui nostro tempore sunt, ex antiquo traditam hanc doctrinam, et per tot secula servatam, sua auctoritate confirmarunt.

VERUM, si vetustissimi, et per omnia patetis, hujus remedii plenam historiam pertexerem, longius ab instituto procederem, quam hujusmodi sermonum solennis brevitatis pateretur. Aequè alienum a nostro consilio foret, morbos omnes enumerare, in quibus aquae frigidae usum scriptores multis laudibus prosequuntur; vel ad auctores provocare, ut vim ejus in singulis morbis vincendis, exponam. Et praeter hoc aequè etiam inutile.

ADEO longe lateque patet, aquae frigidae corpori circumfusae utilitas, sive in arcendis, seu sanandis morbis, ut singula discendi cupidos

pidos ad libros relegandos duxerim, ipse ad propositum adgressurus.

DUPLEX autem id est.

I. PRINCIPIO hujus remedii rationem attingam.

II. POST hoc nonnullos ex morbis insignioribus memorabo, quibus laborantes homines, aqua frigida perfusi, sanitatem recuperarunt.

QUOD si veram hujus remedii rationem affecutus fuero, ut mea opinio modeste interponatur, verum requirenti plus boni attulero, quam si mille scriptorum immensa volumina perscrutatus, universos morbos, in quibus adhibita aqua frigida fuit, ordine longo explicavissem.

PRIUS autem quam hoc aggrediar, necesse habebō, de aquarum genere eligendo, quoque modo uti iis conveniat, pauca proponere.

QUOD ad delectum aquarum attinet, quoniam tota earum vis in sola frigiditate posita est, ut post modo ostendam; commixtae aliis particulis, qualescunque hae sint, nullam



nullam inde proprietatem accipiunt, nisi quod particulis gravidæ magis densantur\*.

ATQUE hinc fit, ut aqua marina plus valeat, quam quævis alia eadem frigiditate prædita. Etenim illa magis densata facit, ut major quoque particularum numerus summo corpori incumbat.

MODUS autem, quo uti aqua conveniat, duplex est. Vel enim totum corpus ea perfunditur; vel pars aliqua tantummodo in aquam demitti, aut interdum ex alto cadenti submitti solet. Nec inter se differunt hi modi, præterquam quod plus minusve efficere videntur, prout aqua majus minusve summi corporis spatium occupavit.

Hoc in loco monendus est lector, me per totum hunc sermonem de aqua totum corpus perfundente fere dicturum esse; de altero ejus adhibendi modo taciturum, nisi si quando opus fuerit, hunc quoque per occasionem memorare: Quod si fuerit, cau-  
tis

\* Neque perpetua tamen est hæc lex, siquidem MARTINIUS Medicus, vim corporum, qua calor aut frigus aliis injicitur, non semper pro ratione densitatis esse, ostendit. Sed cum hoc parum ad nostram rem faciat, omittendum censui.

tis verbis notabo, et priori illi aperte distinguam.

NUNC quod supra pollicitus sum prosequor, sequentem ordinem servaturus.

I. QUOD ad primam divisionem attinet.

1. PRINCIPIO, quid in corpore nostro sensibus manifestum efficiat frigida lavatio, inquiram.

2. DEINDE, principia animantis propria, *Οικονομίας* vulgo dicta, quae maxime efficiunt, ut agere in corpus aqua possit, evolvere;

3. POSTREMO, aquae frigidae veri actionis modi, rationem reddere conabor.

II. QUOD ad alteram.

1. UNUM vel alterum corporis habitum, qui hoc remedium desiderare videbitur, exponam.

2. POST aliquos morbos sigillatim enumerabo.

AB aqua frigida quae in corpore humano manifestò fiunt, haec sunt.

1. IN eam satis frigidam demissus homo, concussus et constrictionem per totius corporis

poris summa vehementem sentiet. Mox aqua emergens, horrorem et rigoris plus minusve percipiet. Quos brevi excipiunt, calor cum rubedine cutis, pulsus magnus, plenus et citus, robur et vigor omnium motuum, denique cum hilaritate animi serenitas. Quod si idem hunc aquae usum, per longius temporis spatium, saepius repetere assueverit, corporis robur augebitur, firmitas et durties musculis, quae ante non fuerunt, accedent: Postremo omnia officia melius peragentur. Quae bona autem hanc consuetudinem sequantur, non est ut aliis verbis depingere laborem, quam quae ex AGATHINO citat ORIBASIVS\*.

2. UT principia illa animantium, in secunda hujus divisionis parte memorata, quae  
maxime

\* Qui hunc brevem vitae cursum sani et bene valentes perficere cupiunt, aqua frigida lavari saepe debent. Cujus utilitatem verbis vix aequare queo. Qua se perfundere consuetos, quamvis senio propemodum confectos, corpore tamen constanti et compacto, et colore florido comperies; quique virilitatis et tenoris omnino multum prae se ferunt. Quinetiam iidem, quae ad appetitus coctionesque pertinent, ea firma; sensusque plerumque integros et exquisitos, postremo, naturales actiones rite constitutas habent.

maxime efficiunt, ut in corpora viva agere frigida aqua queat, evolvam; dandum hoc mihi primum est, omnia quae corpus humanum afficiunt, vel in solida simplicia, vel in humores, vel in solida viva, quae HIPPOCRATI τὰ εὐπομῶστα dicuntur, agere. Quoniam haec tria totum humanum corpus efficiunt.

DE his igitur sigillatim disputabo, quorum quaenam aqua frigida afficiat, ostendam.

IMMORTALI BOERHAAVIO, qui in egregiis suis aphorismis de cognoscendis et curandis morbis, tanto ingenii acumine, varias et inter se discrepantes priorum medicorum sententias corrigere, et verum ex omnibus erudere tantopere laboravit, ad simplicia solida plurimos morbos referre, placuit.

Hujus viri aemuli, cum majori aliorum medicorum parte, eandem hanc doctrinam amplexi sunt, et corporis actionum robur, omnibus temporibus, a praesenti harum partium statu, plurimum pendere crediderunt: Eandemque opinionem etiam altius profequuti, quo modo solidorum simplicium vel  
résolutio

resolutio vel rigiditas sciri et sanari queant, regulas tradiderunt.

TOT tamen virorum, qui hanc doctrinam excoluerunt, et sua eam auctoritate venerabilem reddiderunt, in sententiam ire nequeo. Nam, ut nostram quoque interponam opinionem, solidorum simplicium ea ratio habenda non fuit, quae in nostra Pathologia habita est. Siquidem, quantum ego didici, nulla adhuc excogitata ratio est, qua verisimile videatur, solida simplicia tam brevi tempore mutari posse, ut horum mutationes, eas, quae subitò in corpore nostro fieri solent, efficere perhibeantur. Pro diversis quidem aetatibus atque hominibus, solidorum quoque fibras vel resolutiores, vel rigidiores fore, nemo non fatebitur; qui in pueris has laxiores, in mediis aetatibus rigidiores, rigidissimas in extrema senectute, et in variis hominibus eadem aetate, varias esse, quotidie videt. Sed inter ea, quibus corpora afficiuntur, nihil video, quare sit credendum, brevi quolibet temporis spatio, has fibras mutari insignius posse. Si solam putredinis vim excipias, quae in sphacelo apparet.

apparet. Praeterea, id quod ex hac opinione fortasse sequitur, robur corporis in quovis hujus motuum peragendo, sive sponte fiunt sive ex voluntate, vix ullo pacto in rigescensibus solidis simplicibus positum videtur. Contra, in vi nervorum ad fibras musculorum delata, ex maxima parte id consistere, verisimilius est. Ideoque saepe homines, quibus solida simplicia flaccida et mollia sunt, haud parvo tamen corporis robore valere videbis; et e contrario, in summa eorundem solidorum rigiditate, summam saepe inesse imbecillitatem. Porro, si verum sit, corporis robur brevi mutatum, a solidorum simplicium oriri mutatione; quod fit ut injectus terror validum hominem ad extremam imbecillitatem redigat; ira ejusdem robur in immensum provehat? Quis affirmare auderet, simplicium solidorum connexus tanto vel arctiores vel solutiores factos esse? Nisi longiore tempore profecto tanta res effici non potuisset. Fatendum quidem est, frigus, ut in corpora caetera manifesto, ita in animantem vivam aliqua ex parte agere, similique modo hanc, quo illa, densare. Sed calor in

vivis animantibus semper generatus, et hoc tempore post admotam aquam validius ad summum corpus rediens, frigus huic soli injectum resolvet, ut simplices fibrae vix eo affici dicantur.

VETAT instituti ratio quo minus ad singula respondeam, quae ii dixerunt, quibus solidorum simplicium statum brevissimo tempore posse mutari placuit. Sed ex iis quae supra dixi, credo, patebit, quae in nostro corpore efficit frigida lavatio, vix ullo modo fieri posse, quod solida simplicia afficiantur.

### DE FLUIDIS.

EANDEM porro in humores agere etiam minus verisimile est. Quo pacto enim ad humores aqua penetrare potest, puncto temporis quo aliquis in ea est, ut ibi sermone dignum aliquid efficiat? Certe in ipsos agere nequit.

CONTRA objecerunt aliqui, hoc remedium, humores densando et eorum vapores inhibendo, corpus sic roborare posse. Siquidem,

dem, quo minus sanguis et spiritus, ut aiunt, turgescant et rariores fiant, prohibere frigidam lavationem dicunt. Sed, ut omit- tam, quam hoc loquendi genus sit absurdum, quamque hae voces nihil omnino significant, inde certe non sequitur, hanc rem eo effici, quod humores frigore densentur. Quoniam causa quam posuerunt, huic rei efficiendae, omnino est impar. Frigus quidem ut caeterorum corporum et solidas partes et humores manifesto, ita, ut supra dictum est, aliqua ex parte etiam in animantibus utraque condensat. Tamen ut hoc concedam; adeo paulum aliquid humorum aquae frigidae subjicitur, si id cum universis conferas; adeoque brevi homo in eadem esse solet, ut inde corpus insigniter densari posse non videatur. Verum densetur sane: Mox subito et vehementer idem recalefactum, ita raros humores rursus faciet, ut, si quid horum densatum ante fuit, id nulla ratione sic manere queat, sed resolvi omnino necesse sit.



## DE SOLIDIS VIVIS.

FRIGIDAM aquam corpori circumfusam id non afficere, quod vel in solida simplicia, vel in humores agat, modo demonstratum est. Restat igitur, ut omnis ejus vis in solida viva convertatur. Quoniam, ut antedictum est, corpus humanum in his tribus totum consistit.

UNIVERSA corporis officia, in motus varios et varie perficiendos dividi posse, certum est. Quorum omnium motuum causae, in actione vel solidarum partium, vel humorum, vel etiam utrorumque, manifestò positaefunt. Verum enim vero, quamvis alterorum utraque auxilio vicissim egent, ut horum motus illae, illarum hi quasi mutuo efficere videantur; humores tamen propriâ naturâ inertes sunt, nec motum ullum excitant, nisi ipsi primùm in motum aliunde conjecti fuerunt.

CONTRA in solidis partibus longe aliter se res habet; quarum aliquae vim se movendi habent ab humoribus prorsus se-junctam.

junctam. Unde autem hanc accipiant, neque enim sibi propriam aut nativam possident, postmodo dicam. Nec omnia, solida quae sunt, hac vi pollent. Portio tantummodo horum eam propriam vendicant. Solida viva nuncupantur. In quibus solis, inter animantem et exanimi aliquid corpore, quicquid interest, id omne positum constat.

QUANDO igitur solida viva tam insigni vi pollent, summa illorum ratio habenda est. Etenim ab hac vi proprietates oriuntur; per quas in secunda valetudine omnia corporis officia perficiuntur; per easdem signa et notas morborum edentes, ratio medendi regitur, morborum natura et medicinae vires aestimantur, atque, ut haec in corpora agat, efficitur.

Itaque de solidis vivis dicturo hic mihi ordo arrisit; ut

A. PRIMUM, quae sit solidorum vivorum *ἐκφυγίας* origo;

B. DEINDE, quae sint eorundem vires;

C. NOVISSIME, ad quas corporis partes eorum actiones pertineant, explicare conarer.

AD

AD solida viva sentiendi seque movendi vim a nervis derivari, certissima experimenta probant: Quibus hoc in loco non est opus enumeratis: Siquidem in omni fere libro physiologico reperiuntur. Sed haec vis, quam per solida viva nervi distribuunt, ad ipsos hos ex encephalo permanat. Quaecunque enim sive rationes, sive ut Graeca voce utar, hypotheses contra afferantur; tamen sensorium commune, seu communem omnium sensuum originem, in cerebro positum esse, omnia experimenta docent.

HAEC quaestio ad altiore alteram duce-  
ret; scilicet, ut inquiram, quid hunc sensuum omnium fontem, aut unde suppeditet; qualisve sit haec animandi vis; ni vererer, ne vano pariter, ac multi alii, labore, naturae et numinis arcana, velut Nili fontem, retro usque fugientia, frustra insequerer.

Hic magis alia necessaria quaestio succurrit; scilicet, quo modo solida viva nervi afficiant, vel qualis sit haec vis per nervos a communi eorum origine ad fibras motrices transmissa? Ad hoc, varias hujus rei rationes  
potius

potius bellè fictas, quam probè redditas et veras inventas fuisse, respondeo.

QUI per nervorum vibrationem hanc vim diffundi proponunt, iis, si nervos chordarum tenfarum instar vibrare volunt, assentire non possum; cum ipsos nervos molles et laxos admodum, et per molles undique partes patere, videam.

NEC probabilior aliorum oratio est, qui nervorum humorem liquori aquae pari tenuitate esse constituunt; ideoque facile ad solida viva eum dimanare.

VERISIMILIOR haec conjectura videtur, quae, nervis quidem fluidum aliquod esse, sed subtile et elasticum, proponit. Siquidem miram istam ac subitam vim habere id videtur, quam in electricitate inesse quotidie experimur; nec ab electricitate distare, nisi singulari quodam modo a propria nervorum fabrica oriente.

#### DE SOLIDORUM VIVORUM VIRIBUS.

QUIBUS viribus solida viva polleant, jam quaerendum est; per quas corpora animantium

tium, ab iis, quae inanimatum corpus sortita sunt, tam insigniter distingui possunt. Cujus rei investigatio eo magis necessaria est, quòd ante hoc tempus scriptores, ad vim nerveam et solidorum vivorum naturam inquirendam, animos parum adjecerunt. Post enim a magno viro HARVEIO humorum circuitum inventum, soli hydraulicae rei in corpore humano medicorum cura omnis impensa est, ad humores solos, animos attenderunt. Hi viri corpus nostrum tanquam machinam hydraulicam posuerunt, cujus omnes motus, a communibus machinarum legibus, explicare laborarunt. Contra nihil facilius est quam demonstrare, eorum ratiocinationes ex his principiis deductas rarissime in animantem convenire. Quamvis enim omnes humani corporis actiones mechanice peragi concedimus, tamen communes machinarum leges nulla ratione in hoc convenire queunt. Vires magnetis et electricitatis esse mechanicas nemo dubitaverit; et, fluida eorum subtilia, quae has vires efficiunt, aliquas facultates habere aliis fluidis communes, nihilo minus certum est: Verum alia quoque habent sui propria.

propria. Quae quamdiu ignota fuerint, neutrius vires, ex legibus aliorum fluidorum communibus, quisquam explicabit.

PARI modo fieri potest, ut, corporum animantium, omnes motus vere sint mechanici, quatenus subtile fluidum, quod eosdem efficit, multa, habet cum aliis fluidis, communia; nihilo tamen minus hoc, aliquid, habet, sui solius proprium; cujus natura, quia nobis est ignota, ut, qua ratione, fibras animantium in motus suos, idem excitet, nescii quoque simus, necesse est.

ITAQUE leges aliorum corporum communes, in humanum, translatae, perraro doctiores nos, reddent.

UT exemplum hujus rei sumatur; pone me, cordis potestatis, ad unguem exactam rationem, iniisse, in homine aliquo, qui, quo tempore hoc fit, summa animi serenitate fruitur. Quanto sapientior fuero, inventa hac ratione, postquam ejusdem animus turbari affectionibus coepit. Nonne ira concepta, cordis vim vehementer, commovebit, et motum ejusdem, praeter omnem rationem, mire percitabit? Contra terror injectus, non-

ne, infra rationem initam, aequè mirabiliter, idem depresso, retundet, omnesque ejus motus tardabit, et debilem vim reddet? Quocirca, ut leges, quibus hae mirae mutationes subjiuntur, a principiis, e legibus aliarum rerum nullo pacto explicabilibus, orientur, omnino fatendum est. “ Multa enim in animali ma-  
“ china a communibus legibus mechanicis  
“ valde aliena sunt: Motus magni a parvis  
“ causis excitati: Celeritates humorum per  
“ eas causas parum diminutae, a quibus, per  
“ receptas leges, eas frangi oportuerat: Mo-  
“ tus a causis penitus incognitis irrepentes:  
“ Motus vehementes a debilibus fibris pro-  
“ ducti: Decurtationes fibrarum, et quae alia.  
“ Non ideo repudiandas leges crediderim,  
“ quibus extra corpus animale vires motri-  
“ ces reguntur: Id volo, nunquam transfe-  
“ rendas ad nostras animati corporis machi-  
“ nas, nisi experimentum consenserit. Fa-  
“ cile enim vel in unico exemplo intelligitur,  
“ aquae fluentis conditiones alias esse debere  
“ in canalibus, qui suarum aquarum motui  
“ nihil addunt: Alias vero, si per canales  
“ fluxerint animatos, qui varie et novam  
“ celeritatem

“ celeritatem suis humoribus tribuunt ; et e  
“ diverso, eorum progressum, contrariis vi-  
“ ribus innatis, inhibent \*.” Qui rebus  
hydraulicis operam et studium impenderunt,  
ii, mutationes humorum secretorum et ex-  
cretorum omnes, a statu ipsorum humorum,  
vel a proprietatibus ipsius sanguinis mutatis,  
oriri duxerunt, solidarum partium actioni  
nihil fere tribuentes. Quippe si quid vel secre-  
tum vel excretum nimis est, id, ob nimiam  
sanguinis tenuitatem, fere semper fieri conje-  
cerunt ; contràque vasa infarciri a nimia e-  
jusdem densitate ; quam lentorem auctores  
appellarunt. Quin et bilem acrem, quae in  
nonnullis morbis per dejectiones elabitur, ad  
univerforum humorum acrimoniam, retule-  
runt. Sed has humorum secretorum muta-  
tiones, vasorum fecernentium mutationibus,  
nasci posse ; nec, cum quolibet humorum sin-  
gulari habitu, conjungi, raro reputaverunt.  
Atqui ita se res habet : Id quod rebus illu-  
strari in promptu est. Medicamentum, vel  
quidlibet ore mansum, hujus glandulas sti-  
mulando

\* Haller. praef. in element. physiol. vol. I.



mulando, largum salivae fluxum excitabit. Cibi grati conspectus idem efficiet. Porro, stimulo aliis vasis fecernentibus admoto, simile aliquid continget. Ad hoc, cerebrum, iecto cranio, depressum, bilis aeruginosae ut largior copia rejiciatur, faciet. Postremo, quod vasa a sanguinis nimia tenacitate infarciri dicunt; hoc, e quovis humorum singulari habitu, vel e quavis re in illos agente, raro admodum fieri, verisimillimum reddetur; si alias hujus rei causas, non modo probabiliiores, sed et evidentiores, invenire potuero. Hominum nimio vinorum ardentium usui deditorum, cadaveribus incis, infarcta hepata saepissime comperta sunt. Hoc illi, ad suum lentorem, sive ad sanguinem in vasis hepaticis, per supra dictos liquores, coeuntem, referre consueverunt. Verum ut praeteream, quam non sit verisimile, alcohol id efficere potuisse; praesertim, cum, ut hoc dilutissimum hepatis vasa ingrediatur, necesse sit; ipso hoc tempore, Turcorum, qui opium pariter immodice, ac nos vinorum genera, deglutiunt, hepata pari quoque modo

do affici solere, compertum est. Utrumque autem, et alcohol et opium, insigni narcotica facultate praeditum, videmus. Unde manifesto indicatur, non liquorum densanti, sed soporiferae illi vi, effectum supra memoratum deberi. Atque, hanc vim narcoticam, nullo modo humores, sed solida viva vaforum hepatis secernentium, afficere, praceptoris nostri *WHYTTII* experimenta confirmant: Scilicet opium, vim nerveam per solida viva diffusam statim arripiendo, agere; idque postquam ei omnis in humores agendi potestas est adempta.

Huc accedit, quod etiam manifestius evincet, absque ulla humorum affectione singulari, infarciri vasa posse. Quippe complures sunt homines, qui, post assumptos pisces, continuo insignem ardorem et rubedinem in facie persentiunt; cujus cutis, saepe maculis rubris, vel exanthematibus, insuper efflorescit; quae mox subito omnia evanescent. Atque eadem res haud raro ex alia causa fit, quam modo memoratâ. Quam nemo certe, ad humorum mutationes aliquas,

quas, referendam contendat. Causa vero evidens in vi nervea constat: Eventum e consensu sequitur, qui stomacho cum cute intercedit. Unde fit, ut illius affectus ad hanc transmissi, in ejus vasculis singulare hoc motûs genus, excitent; qui proinde maculas et exanthemata, quae dicta sunt, gignere queat.

VERUM enim vero Pathologia e ratione nervorum deducta, etiam hoc tempore, tantummodo quasi illucescere, jure dicatur: Ut insequi altius hanc doctrinam, ne in tenebris solus errem, cupienti non liceat.

SED, ut nullius rei ad notitiam, nisi per proprietates ejus, pervenire quimus, ita, ut de solidis vivis aliquid rationi conveniens dicatur, horum proprietates, quantum percipi possint, prius perscrutandae videntur.

ATQUE omnium sane prope solus GAUBIUS est, a quo ulla ex parte adjuvari possum. Hic maximi BOERHAAVII discipulus, praeclaro et ipse ingenio vir, in eximio suo opere, qui, Institutiones Pathologiae medicales, inscribitur, de solidi vivi morbis, separatim

separatim quodam in loco, bene et perite, disputavit. Tamen multa defunt, ad eorum morbos rite intelligendos, necessaria. Reque ipsa unam tantummodo in solidis vivis proprietatem constituit, quam ille sensilitatem dixit. Quaque nimium vel aucta vel imminuta, fieri morbos judicavit. Irritabilitatem illam, hunc torporem, haud inepte nuncupat.

AT praeter hoc, aliud quoque solidorum vivorum proprium esse, nec ipsa sensilitate minus insignis, compertum est; scilicet se movendi facultas, vel potius robur iis insitum. Hoc, ubi nimium est, et justo majus, auctum robur; si deficit, *ατομία*, dici potest.

GAUBIUS, duas quidem solidis his facultates, sentiendi seque movendi, tribuit. Sed auctum robur et irritabilitatem nullâ notâ certiore inter se distinxit. Nihil tamen certius est, quam diversissimas has res esse. Id quod duplici hoc exemplo illustrabo. Morbo, quem Graeci *μανία*, nos furorem dicimus, laborantes, saepe adeo non irritabiles sunt,

sunt, ut, frigus, fatigationem, medicinae quavis copia assumptae vim, pati, vixque sentire queant: Cum interea, unicuique eorundem hominum actioni, insigne atque etiam incredibile robur, accrevisse cernatur. Contra, puellas hystericas, ut nemini non notum est, ex sola harum corporum irritabilitate, levissimum quidque, in motus insignes excitat.

DUPLEX igitur est solido vivo proprietas, utraque et naturâ et effectis mirabilis; utraque in vi nervea evidenter consistens.

RELIQUUM est, ut quas corporis partes solida viva teneant, ostendam. Cujus rei notitia morbos, quibus hoc remedium sit aptum, faciliores dijudicatu reddet.

C. VIM nerveam per has patere partes affirmare audeam.

α PRINCIPIO, per omnia ex voluntate moventia organa:

β DEINDE, per canalem alimentarium:

γ PORRO, per arterias capillares dictas:

δ TUM, per cor et pulmones:

ε QUINETIAM, per vasa secernentia et excernentia:

ζ POSTREMO,

‡ POSTREMO, per vasa lymphatica.

Ex hac sextuplici divisione, de prioribus tribus, nulla inter Physiologos mota est controversia. Sed et eandem nervorum vim, ad posteriora totidem, et alia quoque vasa, permanere, acerrimo ingenio vir praeceptor noster WHYTIUS, cum magno HALLERO, experimentis claris, probarunt.

SOLUM hoc ambigitur, eademne vis ad arterias etiam majores perveniat, an non: Quam quaestionem, siquidem, ut aiunt, adhuc sub iudice lis est, nec ad rem nostram multum utique facit, simul, quia vereor, ne longior justo hic sermo legentibus videatur, in medio relinquendam censui.

AD tertium, quod proposui, nunc demum procedo, scilicet, ut, quid vere agat frigida lavatio, quoque modo, inquiram. Prius vero, quam hoc faciam, necesse habeo, legem quandam corporis, interpretari. Est autem haec, solidorum vivorum inter se mutuus consensus. Cujus quae fit vera causa, inter physiologos nondum convenit: Dum alii, iique gravissimi, scriptores, e commu-

ni nervorum origine; alii aliunde, eam repetunt.

HIC consensus latissime per corpus nostrum gliffat. Corporis vero partium, aliae in omnibus, aliae tantum in certis quibusdam hominibus, consentiunt.

HUJUS in corporis partibus consensûs, pauca exempla nobis capienda sunt; e quibus, spero, intelligi poterit, quâ fiat, ut aqua frigida, corpori summo circumfusa, tantopere id afficiat, ut nulla interior pars, ut ut remota, ab ejus vi intacta relinquatur.

NULLA nostri corporis pars, cum reliquis, latius, quam cutis, consentit. Haec autem vel ipsa, vel, interveniente alia parte, cum universis, manifesto.

PRIMUM ipsa cutis cum ventriculo consentit. Etenim, quibusdam hominibus, post assumptos pisces, et alia nonnulla ciborum genera, calore et rubedine, cutis perfunditur: Maximeque vultus sic afficitur, qui quidem, maculis vel exanthematibus, per saepe insuper efflorescit.

DOCTISSIMUS VAN SUETONIUS quendam hominem memorat, cujus vultus, post  
assumptum

assumptum oculorum cancrorum paulum aliquid, efflorescere solitus est; rejectoque per vomitum, quod assumptum est, ad justum colorem et pristinum statum, continuo idem redire.

EODEM pertinet, quod noster SYDENHAMUS observavit; anno 1665 et 1666, pestilentiali febre laborantium, plurimos, adeo diris et perpetuis vomitibus, vexatos esse, ut ne medicamenta quidem necessaria ventriculo retinere possent. Quae ventriculi agitationes, e spasmodica cutis constrictione, manifesto oriebantur. Siquidem ille, his vomitibus, tum demum occurrere potuit, cum aegrotos stragulis obruisset, et, largiore sudore expresso, cutis constrictionem solvisset, et hinc ortum, per cutis cum stomacho consensum, affectum sustulisset, vomitusque, ab eodem hoc affectu, excitatos compescuisset.

PORRO, cum pulmonibus, cum intestinis, et forsitan etiam, cum renibus, cutem quoque consentire, quia notum omnibus est, praeterendum puto.

POSTREMO cuti insita, vel potius innata, vis est, alias quoque corporis partes, alia aliqua parte



parte interposita, affiendi: Ventriculum, ut modo dictum est, nullâ interpositâ, proximo consensu pertingit.

VENTRICULO, cum omnibus aliis humani corporis locis, consensus est communis. Quod si, hujus perutilis organi fibris, suum robur et tensio debita, constant, universi corporis solida viva firma erunt, et vigeant. Contra, si eadem fibrae imbecillae sunt, tensioque earum, cibo negato, vel ex alia quavis re, defecit, mirum in modum, universum corpus languescit, imbecilliusque redetur. Homo, qui, certa quavis quotidie hora, vini cyathum assumere consuevit, si quo die, eadem hac hora praeterita, vinum tamen non assumpsit, languescet, et toto corpore imbecillus erit, et omnibus hujus, pariter et animi, actionibus prope ineptus fiet. Idem rursus si, dum ita se habet, vinum solitum capit; corporis et animi, quae ante fuerunt, vires redibunt. Ergo, per ventriculum, cum omnibus corporis locis, cutis consentit. Porro, si aliam aliquam partem ipsa proximo consensu attingit, per hanc reliquae in consensum trahentur.

AD hoc, praeter hunc consensum, inter varias corporis partes, mutuum; alius videtur etiam magis universalis. Quo fit, ut, aliqua parte insigniter affecta, nullo discrimine, universa solida viva afficiantur. Id quod sic illustare conabor. Si cui averso, ren, nec opinatò, gladiolo, forte percussus est, statim se homo erigit, totum corpus commovetur. Diversum hoc est a consensu supra dicto; atque fieri potest, ut per id aquae frigus quoque agat. Idem paulo post vomitibus concutietur. Quod quidem, a consensu renem inter et ventriculum, oritur; et, ad rationem de eodem jam ante explicatam, referendum est.

NUNC demum ad ea aggrediar, quae in humanum corpus frigida lavatio agat, vel, verum ejus agendi modum exponere, conabor.

SI QUIDEM corporis actiones a solidis vivis oriuntur, easque frigida aqua roborat, ut, solidorum vivorum contractiones excitando, aqua hoc faciat, necesse est. Cumque hae, a nervea vi influente, pendeant, actionem frigidae aquae tum demum explicare poterò,  
 si,

si, quo modo nerveae potestatis majorem ea fluxum concitet, prius explanavero. Sed prius, quam hoc fiat, oeconomiae, five animantis corporis, legum nonnullarum adhuc ignotarum notitia esset necessaria. Quae leges, quamvis ignorantur, si nonnulla ab iis effecta investigavero, hanc rem fortasse aliqua ex parte illustrabo.

QUANTUM igitur ex inductione, ut logici aiunt, colligi utique queat, manifestò patet, esse hanc legem in corpore animantis constitutam; scilicet, ut solida viva, simul ac ab aliqua re nocente, et iis interitum minitante, irritantur, ilico, ope facultatis suae motricis, contra nitantur, et vim instantem totis viribus repellant. In qua quidem solidorum horum mira facultate, vitae et sanitatis omne praesidium positum est. Hinc motus omnes *ἀντομαλικοί* profluunt, atque, ex eodem quasi fonte, morborum notarum plurimae et praecipuae, erumpunt. Per eandem legem stat, ut, quaecunque res, corpori humano admotae, ad hujus vim nerveam interimendam, pertinent, earundem stimulus, eodem tempore, fortissimus excitatus,

excitatus, hanc vim vehementius, excitet. Atque hinc sane lavationis frigidae agendi modus melius intelligetur. Etenim aqua frigida corpori admota, vi nervorum, in numerosis cutis vasis, extitium minitatur; mox, amota aqua, in eadem vascula, vis nervea major, quam ante, influet, ipsaque vascula vehementissime contrahentur. Porro eadem vis largior, per universa solida viva ubique, diffundetur. Et prae caeteris, aucta hac vi, cordis motus citabitur, ipsum crebrius et majori impetu se contrahet; prout vascula cutis capillaria magis constricta fuerunt. Quod naturae salutiferum conamen cutis solvet constrictionem, quae aliter in morbum verteretur, atque, diutius permanens, spasmus, qui dicitur, fieret.

JAMQUE frigidae aquae effecta, quae in morbum tendunt, solvuntur; quae vero ad salutem sunt, tantum ea manent. Facultatis nerveae fluxus, per omnes corporis animatas partes, augetur. Solidis vivis omnibus, vis se contrahendi major conciliabitur. Postremo humani corporis officia omnia perfectius fient. Atque haec omnia, in statu  
potestatis

potestatis nerveae in solidis vivis, posita sunt.

ITAQUE aquae frigidae agendi modum, qua licuit, explicare conatus, ad alteram propositi divisionem progredior; et morbos, quibus aquae frigus aptum est, attingam.

II. SIQUIDEM agit frigida aqua, ubi corpus ea perfusum est, nervae potestatis in solida viva fluxum excitando; si recte alicui adhibetur, ut utilissima sit, necesse est.

I. DUPLEX corporis habitus est, unde duplex quoque morborum genus nascitur: Primum omnes morbos comprehendit, qui a deficiente nervorum vi orti sunt; alterum omnes, qui, etiam si a deficiente hac vi non orti sunt, eâdem liberius excitatâ, levari tamen possunt.

2. JAMQUE restat, ut ad secundam hujus divisionis partem transeam; et aliquos morbos sigillatim enumerem, ubi frigidae aquae usus requiritur. Ordinemque prius in I. 2. C. a. b. c. d. e. f. notatum, quod ad partes corporis et sedes morborum attinet, servabo; adjecto, a quo nervorum vis univerforum

verforum oritur, cerebro; unde principium dicendi fiat.

PRIMUS meditati occurrit animi torpor, seu ineptus ille ad sua officia fungenda. Qui morbus, etenim morbus jure habendus est, languorem ex ardente coelo corpori supervenientem, fere sequitur. Sic affectum aliquem, aqua frigida se perfundere, utilissimum est. Utpote cum, internorum sensuum organa, cum solidis vivis, mirè consentiant, visque nervea, in illas partes liberius influens, alacrem et vividum fere animum, reddat; uti unusquisque in se ipso experiri potest.

LYPOTHYMIA finitur, actionum vitae et animanti propriarum, cessatio. Notumque omnibus est, homines hoc morbo pressos, aquâ frigidâ vultui, aut aliae alicui corporis parti, infusâ, posse sanari. Quo factò, potestatis nerveae fluxus in omnia organa revocabitur.

PARALYSIS, ex sensilitatis minimo quasi gradu, donec ad summum sensuum ac motuum defectum ascenderit, in deficiente nervorum vi, omnis consistit. Ideoque, ut frigida aqua, hac vi suscitâtâ, morbum hunc fuget,

et, organa supra in I. 2. C. α. memorata, ad idoneos motus, restituat, necesse est. Ut enim vis ardoris, solidorum vivorum atoniam, creat, quam illorum laxitatem dicunt, sic frigus contra, robur iisdem, restituet. Itaque homines, sub ardente coelo habitantes, atoniaque supra dicta affecti, aqua frigida perfusi, exercitationibus etiam iis aptissimi redduntur, ubi summo corporis robore opus est; eodem coeli ardore, quo prius pigri adeo facti sunt, nihilo minus manente. Ad hunc finem spectantes plurimas res, in libro, qui ψυχρολουσια inscribitur, FLOYERUS memoravit: Plurimos homines prorsus claudos, neque suos artus omnino movere valentes, frigida aqua, qua se perfuderant, reductos ad sanitatem esse. Unde disci potest, quid valeat haec medicina in paralyfi cujuslibet musculi unius, vel cujusdam musculorum ordinis, persanandâ. Idem hic vir, sequentes morbos ab eadem sanatos, testatur:

SURDITATEM; cujus, ni fallor, origo, in musculis auris internae paralytice affectis, latuit.

ORIS distortionem, a paralyfi nonnullos ex ejus musculis afficiente, ortam;

URINAE incontinentiam, a sphinctere vesicae paralyticè affecto;

DENIQUE, Ἀφωνίαν, quae Graece dicitur, perfectam; ut ex epistola quadam, quam FLOYERO scripsit BAYNARDUS, discimus. In qua hic, cuidam puellae, frigida aqua, per quatuordecem dierum spatium, lavatae, aphoniam continuo sanatam, affirmat.

PLURIMA praeterea mala, hujus medicinae usu, sanata enumerare, possem; ni verer, ne longior essem, quam pro hujusmodi opusculi ratione, futurus.

CHOREAM Sancti VITI SYDENHAMUS optime depinxit. Quam, quoniam in movendi organis sedem defixit, ex nervis affectis nasci, manifestum est. Et quaecunque sit causa hunc morbum efficiens, ex indicis, quibus se ostendere solet, apparet, vim nerveam, frigida aqua excitatam, sanare eum posse.

APPETITUS cibi deficiens I. 2. C. 6. tot rebus et causis nasci solet, ut, hoc in morbo, saepe inutilis sit frigida lavatio. Verum cum  
ventriculi



ventriculi officia, a statu nerveae potestatis, in illius tunica musculari, diffusae, ut plurimum, pendeant; fiet, ut ventriculi fibrarum muscularium atonia vel torpor, saepe concoctionem et cibi desiderium, hebetent. Quod si haec morbi fuit origo, ante explicatae rationes, quam utilis esse aqua frigida possit, ostendent.

VERUM, summa cura et observatione medici, opus est, ut morbi causam exploratam habeat. Si atonia fibrarum stomachi, proinde totum corpus male habens, morbum fecit, uti, in summo coeli aestu, saepe fieri solet; quin frigida lavatio profutura sit, dubium quidem non est. Sed et aliae causae occurrere possunt, ut alia quoque medicina utenda sit.

ALVUM adstringere possunt, vel atonia fibrarum intestinalium muscularium, vel deficiens illius stimulus, vel etiam earundem fibrarum insensibilitas. Quodcumque vero horum morbum effecerit, idonea in primis erit frigida lavatio; cujus stimulus fibras intestinalium sensiles ita excitat, ut, quod reddendum est, facilius alvus reddat.

APTA quoque erit omnibus intestinorum morbis spasmodicis, ex atonia tunicae ejus muscularis, ortis; cujusmodi sunt colicae nonnullae, maxime, quas fumi saturnini fecerunt. Notum etenim est, morbum volvulum dictum, colicarum dirissimam, ab aqua frigida, abdomini subitò aspersa, vel solvi, vel saltem levari posse; idque fieri, spasmodica intestinorum strictura sublata.

QUI sequitur, morbus, non ad unamquamvis partium supra I. 2. C. memoratarum, sed ad omnes *α. β. γ. δ. ε. ζ.* referendus est.

FLOYERUS et BAYNARDUS, plurimas febres intermittentes, aquae frigidae usu, feliciter esse sanatas, aiunt. At quisnam ejus agendi modus est? Hic BOERHAAVIANI aphorismi 756. mihi in mentem venit: Cujus haec sunt verba: “ Adeoque, quum ordo  
 “ hic semper in febre intermittente obtineat,  
 “ videtur is, qui primum tempus et primam  
 “ causam superare potest, etiam totum illum  
 “ paroxysmum posse.” Itaque hunc morbum tollit frigida lavatio, primam causam tollendo. Siquidem igitur, ut ante dictum est, in solida viva tantummodo, hujus aquae  
 frigus

frigus, agit, annon hinc verifimillimum est, hujusmodi febrem, sedem in solis vivis solidis, tenere, nec ullo modo, cum quolibet humorum singulari statu, conjungi? Quin et experientia clari viri HUXHAMII, eandem in his febribus aquae frigidae utilitatem, quoque confirmat. Quippe qui anno 1728, mense Maio, intermittentibus vernis laborantes, hoc remedio, probe sanavit.

HARISIUS medicus, qui de morbis infantium ex professo scripsit, et post hunc omnes fere, qui in usu medendi versati sunt, infantium morbos prope omnes, acido in ventriculo dominante, nasci crediderunt. Hanc ego rem ex omni parte non inficior; quamquam adolescens, cui ingenium non deest, quique, in his scholis, titulo Medicinae Doctoris, superiore anno, honestatus est, plurimis argumentis evicisse videtur; acidum, quod infantium ventriculis adeo molestum est, nulla ratione morbum efficere, sed tantummodo, cum eo jam effecto, una se ostendere, et ejus notarum, vel, ut ipse ait, symptomatum, unum esse. I. 2. C. α. β. γ. δ. ζ.

MOR-

MORBUM autem ipsum primo facit solidorum vivorum resolutio illa, vel imbecillitas, quae, in primis animantium aetatibus, ita se insigniter ostendit; quaeque post etiam accedere solet, si corpus praeter consuetudinem parum est exercitum; siue medicina aliqua, vel nimis potionibus, vel inepte et temere, exhibita est; vel denique, ubi in iis, quae non naturalia dicuntur, aliquid vitii inesse coepit.

PRAE caeteris ventriculus, cujus est officium, ita regere naturalem cibi fermentationem, ne magis, quam par est, coascescat, hoc potissimum tempore, in partem universi corporis imbecillitatis veniens, huic suo muneri jam fungendo, omnino impar factus est. Ideoque, gradatim ad statum acidiorum, quam pro bona valetudine, cibus vergens, acidum hoc in ventriculo infantium gignit; ad quod, morborum maximam partem tenellis his corporibus infestorum, medici retulerunt.

QUOCIRCA, si morbi fere omnes, teneram puerorum aetatem infestantes, atonia solidorum vivorum, nascuntur; ut omnibus levandis aptissima sit nostra haec medicina,  
unusquisque

unusquisque fatebitur ; qui, vires ejus, et agendi modum, non ignorat, aut, ipsi experientiae credendum, judicat.

IN morbo rachitide, ita afficiuntur vascula perioftii, et cartilaginum, quae, in vera mox ossa, abitura sunt, ut, materiae osseae fecerendae, inepta reddantur. Hoc autem vasorum vitium, ex imbecillitate, vel atonia solidorum vivorum, oritur ; ut, ex mira flacciditate, et imbecillitate, hujus morbi perpetuis comitibus, manifesto apparet.

ITAQUE, ut huic morbo medeatur aliquis, optimam esse comperiet consuetudinem, infantes frigida aqua totos, immergendi. Cui, si per longius aliquid temporis spatium, affueverint, firmiora esse et quasi durescere, eorum parva corpora, incipient.

OBSERVAT FLOYERUS, rachitidem in Anglia, eo primum tempore, apparuisse, quo infantes, aqua frigida immergi, primum desierunt.

VENERI aliquem ineptum reddunt, cum alia, quae ad nostram rem parum attinent, tum vesicularum, feminales quae dicuntur, oscula resoluta ; vel quaedam in vasis, et musculis,

musculis, qui, ad penem erigendam, operam conferunt, debilitas. Si resoluta vesicularum oscula sunt, semen tenere, nequibunt, quin jugiter per ea diffluat; si debilitate affecta vasa sunt, in corporibus cavernosis, et spongioso, sanguinis satis non cumulabitur, ut erigatur penis; ubi in musculis vitium est, hi in uterum semen jaculari non valebunt.

QUIBUS malis laboranti alicui, quam aquae frigus conveniat, ex ante redditis rationibus, colligi potest. Atque insignis ejus in hoc morbo utilitas, a gravissimis viris, non confirmata non est. FLOYERUS et BAYNARDUS, plurimis temporibus, ejus usum profuisse, et, inter alia, memorabile inprimis hoc, testantur; hominem quendam generosum, qui, ex nimio VENERIS et BACCHI usu, per quatuor annos, pene ne semel quidem erecta, vitam traxerat, frigida aqua corpori quotidie circumfusa, intra quatuordecem dierum spatium, sanum evasisse.

AD eundem hunc morbum, referendum videtur, humoris mucosi, stillicidium illud, gonorrhoeam virulentam, saepe excipiens, vel, ex aliis etiam causis, irrepens. E flacciditate,

et resolutione glandularum próstatarum, et aliarum urethrae mucosarum, oriri hoc videtur; cui nihil aptius medebitur, quam aqua frigida, si quis ea se perfundere assueverit.

POSTREMO, sanguinis fluxus leviores, eadem cohibet, ut notum omnibus est. Agit autem evidenter, vascula, unde ille effluit, ita costringendo, ut exitu eum penitus prohibeat, vel, ejusdem fluxum moderantiorum, efficiat, atque inde lymphæ coeat, et, sanguinem emittentium vasorum ora, obturentur.

JAMQUE, huic sermoni, quanquam inchoatum potius, quam absolutum, opus videatur, finis tamen imponendus est. Gravissimis autem viris, quibus docentibus, futurae scientiae quasi fundamentum jeci, ob utilissima praecepta, et strenuam in docendo curam, summum, quod habeo, gratum animum, reddo. Et, si difficilia ausus, parum perficere valuerim, ut juveni, ut tyroni, denique suo, hoc, mihi, condonent, oro.

F I N I S.